



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia  
Sacra**

**Montmorency, François de  
Antverpiae, 1638**

Thiranthropia. ex cap. 4. Daniel.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](#)

## THIRANTHROPIA

## IDYLLION.

## ARGUMENTVM.

Videns DANIEL Propheta iuxta ripam Eu-  
phratis NABUCHODONOSOREM Chal-  
dæorum Regem inter boues pascentem  
comitantes cum ijs herbas; hoc Pastorali  
carmine eius deflet infortunium, spon-  
detque deinceps, expletis septem annis, omnia meliora.

Ex cap.4. Danielis.

**R** *Vra meis semper placeant ante omnia  
Musis;  
Semper amem silvas: & amarunt ha-  
quoque Reges,  
Regius & sanguis Daniel. o qui modo lucis  
Inferat Assyrijs! o qui me sistat ad amnem  
Præcipiti Chaldaea secat qui pascua cursu!  
Fusus ubi in molli Daniel ad flumina musco,  
Armentum cum forte inter regale viderot  
Armenti dominum pasci communibus herbis;  
Hos dedit ex imo suspirans pectore questus:  
In bouis indignam visum transisse figuram  
Luxerunt dominum Babylonides inde puel-  
la,*

Hinc



Hinc iuuenum chorus. Ecquis enim non fleuit  
acerba

Fata vicesque tuas, infelicissime rerum?  
Te veteres etiam palmae, torrentibus undis  
Quas rigat Euphrates, etiam fluere myrice;  
Nubiferi vertex etiam te fleuit Imai,  
Te rigidæ Tauri silices, te Caspia claustra,  
Cum falsis primùm impleres mugitibus agros,  
Infelix! cum ceruici inga dura timeres.

Quis te mutauit tantus Deus? ullane ludos  
Fortunæ similes patrum vetus audijt ætas?

Hoc tamen antè malum memini prædicere  
missa

Somnia de cælo, nisi mens tibi cæca fuisset.

Hinc adeò generis magnorum oblitus auorum,  
More feræ, solis quadrupes in montibus erras,  
Et gemina in lœvi singis tibi cornua fronte.

Heu miserande Nini pronepos! non murice  
vestis

Tincta, Semiramiâ nec acu variata, cubile  
Iam tibi consternit: sed sub Ione degis aperto,  
Membra super nudis sed proijcis hispida saxis,  
Quo te cumque loco nox intercepit atra.  
Ah vespertinus ne te lupus, ah leo ne te  
Excipiat (stabulatur enim leo plurimus istis  
Saltibus) ah! moneo procul ah fuge lustra  
ferarum!

Quin ades hic potius. carpes hic plena se-  
cundum

Flumina

Flumina Luciferi primo cum sidere grama,  
 Colludit viridi dum ros argenteus herba.  
 Mox ubi quarta sitim collegerit hora die,  
 Ad gelidos ego te latices, ad pocula ducam.  
 Inde sub ilicibus nigris, in valle reducta,  
 Floribus effultus frigus captabis opacum.  
 Ipse tibi interea meditabor arundine carmen,  
 Si qua forte tuum valeam mulcere furorem.  
 Ah Daniel, Daniel, surdo canis! in nemus ille  
 Emicat, abrumpens medio tua verba boatu.  
 Méne fugis? per ego & salebras, & confaga  
 silua

Te sequar, & caro capiti comes usque maneo.  
 Stat mihi velle pati tecum. non ante soporem.  
 His oculis tribuam, prius aut ieunia soluam;  
Quam Deus, humanis solitus mitescere pax,  
 Proprietate mea posthac tibi fiat amicus.  
 Audior? an qui amant fingunt sibi proflora?  
 certe

Audior. en dextram Deus en mihi personat  
 aurem,

En monet, in melius mutata sorte locandum.  
 Te veteri rursus solio: septennia postquam  
 Integra transferint, postquam pernoris,<sup>iii</sup>  
 ipso

Esse Deum qui ius exerceat acre Tyranno!  
 Signa quid obseruas Chaldae? quid officis  
 ortus

Astrorum? nihil ista dabunt, que consulis, affra  
 Scire

Scire futurorum, sibi quæ Deus abdita seruat.  
Et mihi fatorum, cùm vult, tabularia pandit.  
Hinc, pueri, vobis oracula fausta reporto.  
Ergo alacres filias pridem de sueta voluptas  
Iam teneat, filiae domino gaudete recepto.  
Mens illi redit, & maiestas pristina vultus.  
De bone nil superest. sed adhuc tamen edere  
prima

Verba timet, ne mugitus pro voce sequatur.

Plura locuturum properavit cingere Vatem  
Ilicis agresti pastorum turba corona,  
Et rigidam iussit violis mollescere querum.



VVL-